cui quoque uirgis. de quibus dedit quattuor legisperitis ut liberaret ab eis. Et
communi consilio dixerunt: quod in unctum
domini manum non mitterent. Unde
dimissus ab illis: a se ipso depositus est
a regno. [rubric: De qualitate cogitationum]

Internas animae nostrae cogitationes diabo-
lum non uidere certi sumus. sed motibus
eas corporeis ab illo et affectionum in-
diciis colligi et experimento didicimus et
legitime edocemur. Secreta autem cor-
dis solus ille nouit: ad quem dicitur. Tu so-
lus nosti corda filiorum hominum. Non
omnes male cogitationes nostre semper
diaboli instinctu excitantur. sed et aliquando
et nostri arbitrii motu emergunt. Bone au-
tem cogitationes: semper a deo sunt. Augus-
tinus. Consuetudo que longius fuerit
protracta et confirmata. non cum paruo
labore uitatur uel expellitur. ideoque cauen-
dum nobis est ab omni mala consuetu-
dine. [rubric: Admonicio prelatorum] Hieronimus.

Non dignitas et nomina dignitatum.
sed opus dignitatis: et principes
et iudices. et prophetas. et sacerdotes. et omnes
prelatos saluare consueuit. Qui enim episcopa-
tum desiderat: bonum opus desiderat. Vi-
dete quid dixit. Bonum opus desiderat.
Opus non dignitatem. Si autem despec-
to opere aspexerit dignitatem: cito corru-
et. Item. Cum austeritate imperabitis.
Istud proprie respicit ad supercilium prela-
torum: eorum uidelicet qui operibus dedecorant no-
minis dignitatem: et pro humilitate
assumunt superbiam: ut honorem se pu-
tent consecutos non onus. Item gran-
dis dignitas sacerdotum: sed grauis
ruina si peccat. Letamur ad ascensum:
sed timeamus ad lapsum. Non est tanti
gaudii excelsa tenuisse: quanti me-
roris de sublimioribus corruisse.
Nec enim solum pro nostris delictis
reddemus rationem: sed pro omnium quo-
rum abutamur donis. et nequaquam
sumus de eorum salute solliciti. Tria sunt
necessaria pastori: baculus. uirga.
canis. Baculus luporum: uirga ouium:
canis utrique lupo. Baculus dura est
correptio: uirga lenis: canis uero ze-
lus pro grege domini. Hunc autem zelum
ligatum uinculo rationis tenere de-
bet manu proprie potestatis. ne te-
mere cum uoluerit prorumpat: alioquin
oues eque ut lupos lacerabit. Sed
et cauere debet ne uirga lupum:
ne baculo ouem feriat. Debet etiam
pastor dissimilis esse ab ouibus: quia
pro infirmitate sua inclinate deorsum
pascuntur in terra: nec sursum re-
spiciunt. Pastor uero erectus in celum sta-
re debet. in medio earum. et de celo pa-
sci: et erectus sursum oculis. legem in celo
leges quibus oues pascat in terris. De-
bet etiam semper habere panem in terra.
hoc est uerbum in memoria: ut paratus
sit semper de fide et spe que est in
Christo. omni petenti reddere rati-
onem. Quicquid hec [illegible] abstulit [illegible]

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF